

www.e-rara.ch

Theses theologicae de libero hominis arbitrio

Buxtorf, Johann

Basileae, [1653]

Kantonsbibliothek Graubünden

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-85499>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Ba 11.3



THESES THEOLOGICÆ,
De
LIBERO HOMINIS
ARBITRIO.

Quas,

D. O. M. gratiosè adjuvante,

P R Æ S I D E,

Viro Reverendo, Clarissimo & Excellentissimo,

DN. JOHANNES BUXTORFIO,
S. S. Theol. Doct. • Locorum Comm. &
Linguæ Sanctæ, in illustri & perantiquâ
Rauracorum Universitate, Profes-
sore celeberrimo:

Publicè tueri conabitur

GEORGIUS SCHVARZIUS,
Rhætus.

Ad diem 16 Maji, Anni M DC LI.

horis loquæ consuetis.



BASILÆ, Typis GEORGI DECKERI,
Universitatis Typographi.

VIRIS

REVERENDIS, CLARISSIMIS,
EXCELLENTISSIMIS:

DN. THEODORO ZVINGERO, S.S. Theol. Doct.
V. T. Profefs. Eccl. Bas. Antistiti, & Facult.
Theologicæ Decano Spectabili.

DN. JOHANNI BUXTORFIO, S.S. Theol. Doct.
Ling. S. & Loc. Comm. Prof. accuratissimo.

DN. M. JOH. JACOBO WERENFELSIO, Pastori
in æde D. Martini fidelissimo, Hospiti suo
Venerando,

DN. M. HARTMANNO SCHVARZIO, Eccles.
Curiensis Antistiti, Fœderis Decem-Juris-
dictionum Decano meritissimo, Parenti
plurimum honorando.

DN. M. LUCIO GABRIELI, Eccl. Istantinæ Pa-
stori, & Eccl. Reformatarum Fœderis Gri-
sæi Decano dignissimo.

DN. ESAIÆ SCHUCANO, Schamfienfis Eccl. Pa-
rocho, Synodi itidem Venerandæ Refor.
Rhætiae, in Fœdere Cathedrali, Decano
emerito.

*D. D. Fautoribus ac fœdiorum suorum Promotoribus
honoratissimis, Theses hasce Theologicas, in grati
animi, & debitæ observantiæ*

σημείον ac τιμήριον,

dicat & offert

GEORGIUS SCHVARZIUS,

A. & R.



De

LIBERO ARBITRIO, T H E S I S I.

INter Zizania, quæ in agro Domini nostri Jesu Christi, deterrimus ille Dei hominumque hostis, Satanas, omni tempore tritico interficere maximè laboravit, primas tenent Hæreses, quibus, ut Domini triticum radicitus extirpet, animos improborum quorundam, sub specie amicorum Christi, verbum Dei corrumperunt, nunquam non imbut. Hæresium autem, cum pestilentissimæ omnium illæ sint, cum quibus plures aliæ necessariò copulantur, Christianæ pietatis erit, eas præ cæteris quoque execrari, illarumque veneno nocentissimo simpliciores animas prohibere. Quod ipsum pensitantes, non inanem nos operam sumpturos esse existimavimus, si doctrinam de LIBERO Homini ARBITRIO, Divinâ gratiâ adjuti, paucis contemplandam nobis proponeremus: cum eâ non rectè cognitâ, plurimi perniciosissimis sese erroribus, gloriam beneficiorum Christi maximopere obscurantibus, involverint: ad veræ verò Religionis, eorundem etiam beneficiorum Christi solidam cognitionem, de Libero hominis Arbitrio vera persuasio, primus gradus sit.

II.

Ordinis verò melioris, ac Methodi magis perspicuæ gratiâ, duabus partibus hanc tractationem nostram limitabi-

mus. Primò, breviter de **LIBERI ARBITRII NATURA** differemus; **VIREs** deinde ejus, pro variâ subjectorum qualitate, nec non diversis actionum generibus, explicabimus.

III.

LIBERUM ARBITRIUM, quod Aristoteles, latiori nonnihil vocabulo utens, 3. Ethic. cap. 1. ἐκείνου, & quoad actum ipsius, περιέχειν; Græci verò Patres in excessu peccantes, ὑπερβίον, vocârunt: Latinis vocabulum complexum est, quod nec Intellectum, nec Voluntatem ipsam propriè, vel Actum facultatis unius ab alterius præcisum, significat; sed Potentiam quandam ipsius Voluntatis, in quâ residet, & à quâ libertatem suam, quæ radicaliter ab intellectu dependet, formaliter habet, designat, quâ, præeunte rationis judicio, objectum voluntati monstrante, illudque probante, vel improbante, (quod **ARBITRII** nomine significatur) Voluntas nostra illud liberè (unde arbitrium ejus liberum quodque dicitur) eligere, vel repudiare potest.

IV.

Non itaque facultas erit æquè ad bonum, ac ad malum; proclivis, seu, tam bonum quàm malum agendi, quidvis item pro lubitu perficiendi; sed in genere, Naturæ Intelligentis facultas, objectum aliquod, sub boni vel mali ratione, à mente monstratum, liberè vel eligendi vel repudiandi. Dei enim & Beatorum Angelorum voluntas libertatem etsi habeat perfectissimam, ad malum tamen haudquaquam flexibilis; sed ad bonum tantùm determinata est.

V.

Objectum Liberi Arbitrii sunt Media, non Finis. Cùm enim Finis omnis bonus sit, ideò sub deliberationem non cadit. Media verò non omnia, sed illa tantùm pro vero illius Objecto habentur, quæ ad finem assequendum pertinere, adeoque fini accommodata esse, vel non, judicantur. Nam de eo, quod nihil ad nos attinet, aut in nostra potestate non est, (ut sunt, quæcunque ex necessitate naturali vel supernaturali, casu item
vel for-

vel fortunâ dependent) nemo deliberaverit, nisi cum ratione insanire velit.

VI.

Formam in Definitione, *Libertatis* nomine, intrinsecæ scilicet, à coactione & vi externâ alienæ, notavimus, quæ in tribus consistit, pro objectorum numero, vel qualitate diversâ, sese exerentibus :

I. Ut possit Objectum unum eligere vel repudiare, quam Libertatem *Contradictionis & Exercitii* vocant. II. Inter plura bona, id, quod magis bonum, & mala, quod minùs malum est eligere, quam Libertatem *Contrarietatis & Specificationis* dicunt. III. Actionem omninò suspendere, ita, ut nec velit, nec nolit : quod accidere solet, quando boni simul & mali ratio, uni alicui objecto inest, aut intellectus, ob non liquidam veritatis cognitionem, suspensus hæret.

VII.

Cùm igitur LIBERI ARBITRII formalis ratio in eo consistat, ut voluntas hominis consultò & sponte agere possit, & ad unum aliquod non coacta determinetur, planum est, divinam Providentiam, juxta quam omnia necessariò eveniunt, naturam ipsius neutiquàm evertere, quasi voluntas hominis hâc cogeretur, vel Physicâ necessitate ad unum determinaretur, in actionibus humanis mentis judicium non præcederet, & motus voluntatis spontaneus subsequeretur. Ne unicum quidem istorum ponit, vel tollit divina Providentia, quâ arcano tantùm modo, & suavi inflexione, voluntas hominis, secundùm ipsius naturam, in actibus suis dirigitur & flectitur, sic ut hoc ipsum quod agit, ipsa quoque velit; ut ita malam quoque Deus benè & sapienter regat, Jes. 10. 6. 7. 2. Sam. 16. 10. & ad finem aliquem sibi gloriosum, immutabiliter determinet, qui corda, quò vult, flectit, Prov. 21. 1. Jerem. 10.

Hæc de Liberi Arbitrii Naturâ; nunc de *Viribus* ejusdem dicemus.

VIII.

Theologi varium hominis statum respicientes, Libertatem

quoque, seu liberum ipsius arbitrium, variè distinguunt. Nam *statibus respectu*, quadruplex faciunt. Considerant enim illud, I. Prout fuit in Homine Integro, II. Ut est in Lapso & Corrupto, III. Ut est in homine corrupto quidem, per gratiam tamen Renovato, IV. Ut erit in homine Glorificato; seu in Statu gloriæ constituto. In quibus diversis statibus, pro triplici Cognitionum & Actionum humanarum; puta, Naturalium, Moralium, & Supernaturalium, genere, vires ejus quoque varias spectare solent. De quibus nunc agemus ordine.

IX.

In *Statu Innocentiæ* flexibile erat liberum hominis arbitrium, ad bonum & ad malum, adeoque tale, quo homo tum stare & perseverare, tum labi quoque & peccare potuit. Tamen si enim in mente ipsius accensa fuerit lux, quâ Deum & voluntatem ejus rectè agnoscebat, voluntas quinetiâ justitiâ & sanctitate, quâ in obedientiam Legis divinæ inclinabat, ornata fuerit; non ita tamen confirmatus fuerat, ut Intellectus objectâ speciei alicujus boni non persuaderi, & Voluntas non deficere potuerit; sed, ut ipsum etiam bonum amplecteretur, & ut perseveraret, gratiâ Dei opus habuit. Ut autem nullâ tentatione vinceretur, sed perpetuò Deo adhærere veller, non acceperat; Hanc enim si accepisset gratiam, omninò perseverâisset.

X.

Non Deo igitur, quòd peccavit; sed ipsi Adamo adscribendum est, qui viribus perseverandi instructus, spreto tamen Dei mandato, quo, ne peccaret, severissimè fuerat admonitus, legem de non comedendo arboris fructu, transgressus est. Eccl. 7. 29. *Deus fecerat hominem rectum, ipsi verò inquisiverunt inventiones multas.* Neque verò, quia Deus peccatum hoc non impediverat, & homini voluntatem mutabilem indidit, idcirco illius peccati author cenferi debet: nam nec ad hoc adstrictus erat, ut illud impediret, aut gratiam majorem homini daret, neque facultas illa, ad bonum & malum flexibilis, peccati illius causa fuit; sed facultatis illius tantum abusus.

XI.

In *Homine Corrupto*, quia per lapsum primorum parentum
Imago

Imago Dei deformata est, & nonnisi rudera quædam imaginis illius remanserunt, intelligit homo Mente, & Voluntate vult ac eligit, ita, ut ratiocinando multarum naturalium, & scientias addiscendo, civilium rerum notitiam assequi possit, ipsum etiam tum naturale, tum morale bonum, quoquo modo quandoque eligat atque amplectatur.

XII.

Quia tamen in Mente fax illa Sapientiæ & claræ cognitionis Dei extincta est, in Voluntate etiam & corde Timor Dei, & studium obediendi Deo, desiit; hæc verò, Cæcitas & dubitationes, Aversio à Deo, & Inclinationes pravæ, subsequuta sunt, fit, ut rerum istarum Notitia, non solida, sed erratica, vaga & probabilis tantum sit, quamvis ad excusationem peccati ipsis adimendam sufficiens, Rom. 1. 20. Voluntas verò, bonum eligendo, præterquam quòd sæpè affectibus victa, mentis iudicium non sequatur, (ultimo tamen practici intellectus excepto) in modo & fine semper erret.

XIII.

Monstruosum ergo est, tantas in naturâ corruptâ Intellectui humano attribuere vires, quibus aliquod Verum morale sic cognoscere possit, etiam absque Speciali Dei auxilio, ut ejus notitia ad obedientiam Deo præstandam, quæ peccato careat, sufficiens sit: Propudiosum, dicere, hominem non renatum viribus voluntatis suæ, si non omnia; saltem aliqua Opera verè & moraliter coràm Deo bona, præstare posse. In os sanè reclamat huic doctrinæ Scriptura, quæ *figmentum cordis humani tantum malum esse* dicit Gen. 6. 5. Et vires omnes loquendi, imò etiam cogitandi bonum, homini adimit. Matth. 12. 34. 2. Cor. 3. v. 5. Adhæc, cum peccatum sit, quicquid sine fide sit Rom. 14. 23. omnes etiam actiones nostræ ad gloriam Dei simpliciter directæ esse debeant, 1. Cor. 10. 31. perspicuum est, nulla corrupti hominis opera, Deo placere posse. Et si quæ aliquando extrinsecè speciosa sunt, ut olim Opera Pharisæorum fuerunt, & Virtutes Ethnicorum; quas tamen non à communibus naturæ dotibus habuerunt; intus tamen, sunt omnia *osibus mortuorum plena*. Matth. 23. 27.

XIV. In

XIV.

In hoc namque statu arbitrium hominis liberum est, tantum ad malum; adeoque secundum Scripturam *Servum* potius, quam liberum dicendum erit, Rom. 6. Joh. 8. cum homo *nil nisi peccare possit*, idque necessarium, Math. 12. 34. quamvis servitus hæc voluntaria sit, & latentur homines faciendo malum, exsultentque in perversitatibus pessimis. Prov. 2. 14.

XV.

Multò minùs ergo in rebus Cœlestibus, & salutem hominis promoventibus, aliquas vitæ Spiritualis reliquias, aliqua veræ agnitionis Dei, vel aliarum bonarum inclinationum semina, corruptus homo habere potest; quibus videlicet se convertere, in Christum credere, & vitam Spiritualem inchoare, vel saltem de eâ cogitare possit; sed in istis Intellectus penitus obscuratus, & Voluntas totaliter depravata est. Math. 16. v. 17. 2. Cor. 3. v. 5. Joh. 6. v. 45. 65. Joh. 3. 5. Rom. 8. 7. Jer. 13. Psal. 14. v. 3.

XVI.

Ut itaque Sacrilegi sint, qui inter Deum & homines salutis humanæ gloriam partiuntur, & gratiam Dei in conversione hominis ita agnoscunt, ut ejusdem conversionis partem tamen, ipsis humanis viribus (quas specioso nomine, *Gratie Universalis*, vestiunt) ad conversionem se disponentibus, vel ipsi divinæ gratiæ cooperantibus, transcribant. Nullæ sanè heic hominis corrupti vires sunt, 1. Cor. 12. 3. 2. Cor. 3. 5. Matth. 12. 1. Cor. 2. 14. nulla dispositio, Ezech. 36. 26. 27. Eph. 2. 5. Nullus denique heic bonus liberi arbitrii usus est, cui videlicet ipse credendi actus debeatur 1. Cor. 4. 7. Rom. 9. v. 16. *Deus enim non velle solum; sed & perficere dat*, Phil. 2. v. 13. non tantum vires credendi; sed ipsum credere, Phil. 1. 29. Et præclare olim Basilii in conc. de Humil. dixit: *Nihil tibi reliquum est ad superbiam homo: cujus gloriatio & spes est, ut mortifices omnia, quæ tua sunt, & queras futuram in Christo vitam: cujus nunc adepti primitias, in his sumus, totum quod vivimus gratiæ & dono Dei debentes, &c.* similia his, sunt verba quoque Cypriani lib. 3.

ad Qui

ad Quirin. dicentis: *In nullo gloriandum est, quando nihil nostrum est.*

XVII.

Neque tamen propterea, quia non est in hominis potestate, ut iustitiæ studeat, frustraneæ erunt Exhortationes, vel Objurationes, ad homines in peccatis mortuos directæ, aut homo in truncum vel statuum convertetur. Deus enim per id, quod creatura suâ culpâ impossibilitatem obediendi Deo sibi contraxit, jus suum, quo minùs homines ad officium faciendum exhortari possit, non amisit; & quæ Deus proponit præcepta, non sunt virium nostrarum mensura; sed officii regula, ut discamus ex iis infirmitatem nostram agnoscere, & facultatem illis satisfaciendi amissam, seriis precibus à Deo petere: denique ne aliquando prætendamus ignorantiam, ac si eorum, quæ Deo grata sunt, fuisset ignari. Adde quòd, si electos respiciamus, Deus præcipiendo & vocando, non excludit, sed includit gratiam suam, & verbo suo Spiritûs efficaciam adjungit, sic, ut vocati veniant, & priùs mortui vivant.

XVIII.

Habet itaque se homo ejusque voluntas in primâ suâ regeneratione merè passivè. Solus enim Deus gratiosè simul & potenter, Eph. 1. 19. 1. Cor. 2. 5. pulsus cæcitatibus tenebris, mentes per verbum & Spiritum illuminat, saxeæ quinetiam corda ad obedientiam flectit, ut eundem trahentem sequantur, Joh. 6. sicque quos ad æternam destinavit salutem, à peccatorum vinculis solutos, iustitiæ servos, (quæ vera demum libertas est 2. Cor. 3. 17. Joh. 8. 36.) nunquam perituros, Psal. 37. 24. Rom. 8. 38. 39. ratione decreti divini, quod irritum fieri nequit, Psal. 33. 11. infallibiliter efficit.

XIX.

Ubi ergo natura, in hoc statu gratiæ, per Spiritum S. renovata est, incipit homo renatus novas vires habere, tum volendi & intelligendi Spiritualia, tum quoque Deo in operibus iustitiæ cooperandi, adeoque arbitrium ipsius liberum est; Partim ad bonum, quatenus voluntas ipsius benè operari in-

cipit, non tamen nisi à Deo excitata; Deut. 30. 6. *Circumcider Dominus Deus tuus cor tuum, & cor seminis tui, ut diligas Dominum Deum tuum*, Jer. 31. v. 18. *Converte me Domine & convertar*. Et Phil. 2. 13. *Deus est, qui in nobis efficit velle & perficere*: Partim verò etiam ad malum; cùm enim non perficiatur regeneratio in hâc vitâ, ita, ut nulla caligo agnitionem Dei in Mente obscurans; nulla voluntatis & affectuum ἀλγία, in homine relinquatur, evenit interdum, ut mens de justitiâ, misericordiâ & potentiâ Dei dubitet, Math. 17. 20. & c. 14. 31. Marc. 9. 24. Voluntas verò, affectibus seducta, id etiam agat, quod legi divinæ adversari, intellectus agnoscit. Gal. 5. 17. Rom. 7. 15. Hinc peccatorum suorum remissionem, quotidie à Deo rogant. Math. 6. v. 12. & secundum opera sua judicari nolunt, Psal. 143. 2.

XX.

Denique in Statu Gloriæ, hominum glorificatorum arbitrium liberum erit tantum ad bonum, sic ut nec peccent, nec unquam peccare possint. Habebunt enim I. Intellectum sine errore, & lucebit in mente ipsorum perfecta Dei & voluntatis ipsius agnitio: Nam id, quod nunc per Speculum & anigma cernimus, tunc coram cernemus, 1. Cor. 13. 12. II. In voluntate erit perfecta inclinatio, studium, alacritas obediendi Deo, summa ipsius dilectio, lætitiâque in eo acquiescens: Erimus enim ἱσχυελοι, Matth. 22. 30. Geremus imaginem cœlestis hominis, 1. Cor. 15. v. 49. Imò similes erimus Deo. 1. Joh. 3. 3. III. In æternum denique non deferemur; sed continuò & efficaciter à Spiritu S. in vitâ cœlesti, ne à rectitudine aberremus, beati regemur.

XXI.

Damnatorum verò arbitrium, liberum erit tantum ad malum, ita quidem, ut nihil aliud velle aut perficere possint. Quia in mente ipsorum erit Dei & voluntatis ipsius Ignorantia; in corde verò Malicia, Odium Dei & operum ipsius, dominabitur, idque in omnem æternitatem: Spiritus namque S. gratiâ destituti, sibi suisque cupiditatibus permittentur, & à Diabolo perpetuò regentur.

SOLI DEO TRINO ET UNI
GLORIA.



CARMINA VOTIVA,
in honorem
Præstantissimi D. Respondentis.

Naturâ cupiunt homines incumbere pravo,
Sic igitur servum dixeris arbitrium,
Dispereant illi, quibus hæc occasio litis
Perpetua est, nullis conciliandamodis!
Hinc celebrem laudem contrâ tu ritè mereris,
Utpote qui dextrè sic sapis ac loqueris:
Intrepidè ascendas cathedrâ, Buxtorfius adstat,
Ipse tuum dictum diriget atq; reget;
Dicere de sanctis rebus sic perge deinceps,
Ac fragrans nomen conciliare tibi.
Sic Patris emeriti scitè vestigia calcas,
Sic & eris splendens Luxq; decusq; Tuis.

Adfectus indicinam posuit

M. MELCHIOR HERTENSTEIN,
Basil. S.S. Theol. Stud.



*Quàm benè Rauriacis tua tempora gnarus
in oris*

*Triveris, exacto pollice charta docet,
Efformata Sacro de Themate, quo Niger ullum
Vix tanti è multis ponderis esse queat.
Quàm Veneranda Patris dilecti dogmata Gnati
Spectabunt radiis lumina latiferis!
Perge Niger, magnā de Te quam concipit alma
Spē patria, hanc porro perge fovere Niger.
Ad tua missatici exhorrescant ora Monota
Limpida præmineat Teq̃ docente Fides.*

D. Agnato charissimo honoris & amoris ergo

Defero

FLORIUS MENGIUS Rhætus,
S.S. Theol. Stud.

F I N I S

